



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 62. Archiepiscopus in Hibernia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII. *dicatur.* Mons - Dei est Monasterium  
A.C. 1152. Cartusianorum, in Diœcesi Remensi  
 positum.

## §. LXII.

*Archiepiscopatus in Hibernia.*

*Joan. Ha-*  
*gulst. to. 2.*  
*Conc.*  
*p. 1130.*

*Wareus an-*  
*tiq. lib. c. 16.*

Joannes Paperonius Cardinalis Pres-  
 byter, Tituli S. Laurentii, Legatus  
 in Hiberniam ab Eugenio Papa anno mil-  
 lesimo centesimo quinquagesimo primo  
 missus, ad Regem Angliæ se contulit,  
 qui ei proficiscenti datis literis securi-  
 tatem præstare noluit, nisi jurejurando  
 promitteret, se in hoc itinere nihil actu-  
 rum, quod Regni sui juribus nocere pos-  
 set. Paperonius indignatus ad Papam  
 rediit, cujus curia Regis Angliæ responso  
 haud modice offensa est. Anno sequente  
 millesimo centesimo quinquagesimo se-  
 cundo, Paperonius iterum trajecto mari  
 Davidem Scotiæ Regem adiit, petens,  
 ut sibi in Hiberniam navigare liceret.  
 David Rex Legatum circa Festum S. Mi-  
 chaelis honorifice exceptum in Hiber-  
 niam dimisit, cum Christiano Episcopo  
 Lismorensi, & ipso in eadem Insula Le-  
 gati potestate instructo. Ibidem Con-  
 cilium in Cœnobio Mellifontano, Ordini  
 Cisterciensis celebrarunt, cui Epi-  
 scopi, Abbates, Reges, Duces & Majores  
 natu Hiberniæ interfuerunt, quo-  
 rum consensu Archiepiscopatus consti-  
 tuti

tuti sunt quatuor, Armachanus, Du-  
 bliensis, Casselensis, Toamentis, his-  
 que sui Suffraganei sunt designati. Ita-  
 que Metropolitana Dignitate in Hibernia  
 primi fulserunt Gelasius, alio nomine  
*Giolla, Mac-liab*, Archiepiscopus Ar-  
 machanus, Hiberniæ Primas, S. Mala-  
 chiæ Successor. Gregorius, seu *Greui*,  
 Archiepiscopus Dublinensis. Donatus,  
 seu *Domaldo* Lonarganus, Archiepi-  
 scopus Casselensis, & Edanus, seu *Aeda*  
*oboffin*, Archiepiscopus Toamentis.

Ex his exemplis dispicimus, qua ra-  
 tione Hiberni nomina sua Latini sermo-  
 nis genio accommodaverint, ut minus  
 barbare sonarent. Paperonius Legatus  
 memoratis Archiepiscopis Pallia quatuor,  
 Roma allata, distribuit. Hibernos quo-  
 que Matrimonii legibus, quibus non  
 erant assueti, subiecit, & multos ab-  
 usus sustulit. Anno sequente millesimo  
 centesimo quinquagesimo tertio, post  
 Festa Paschalia, ex Hibernia solvens,  
 per Scotiam, qua venerat, domum re-  
 meavit.

## §. LXIII.

*Alanus Episcopus Antissiodorensis.*

In Francia Sedes Antissiodorensis quin-  
 decim circiter mensibus vacavit, post  
 obitum Hugonis, quem S. Bernardus  
 S. Episcopum appellat. Is olim Monachus  
 Cister-

Sæcul. XII.  
 A. C. 1152.

Sup. Lib.  
 LXVIII.